



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio XIX. De petita restitutione in integrum coram Judice Delegato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

po subiectæ, id non privativè & cum  
 exultatione Episcopi pertinet ad Con-  
 ventum, sed simul unà cum Conven-  
 tu ad Episcopum. Roderiq. to. 3. qq.  
 regular. q. 17. a 4. Navarr. l. 3. conf.  
 40. n. 2. seqq. Armilla V. Novitius n.  
 11. Tabiena q. 8. n. 9. & alii: quia  
 Episcopus tanquam Superior repræsen-  
 tat caput Conventus in tali receptione.  
 Ex quo fit, Moniales Episcopo subje-  
 ctas non posse aliquam recipere ad  
 habitum Religionis invitò Episcopò,  
 nec Episcopum invitò Monialibus:  
 invitò autem & prohibentis Episcopi  
 negatum consensum ejus Vicarius,  
 tanquam inferior, & ab Episcopo de-  
 pendens quoad potestatem suam, sup-  
 plere, aut restituere nequit. Ad al-  
 terum negatur, illam prohibitionem

fuisse personalem, & præcisè intuitu  
 Abbatissæ factam, quasi intentio Epi-  
 scopi fuerit, ut puella non recipiatur  
 ad habitum à tali Abbatissa, non cu-  
 rando, quòd alio modo recipiatur:  
 sed prohibitio Episcopi fuit realis, &  
 directa in ipsam receptionem, Abba-  
 tissæ autem, cujus fuisset exequi ca-  
 pitularem determinationem, tantum  
 intimata: prohibitio autem, quæ di-  
 rigitur ad rem, est realis, non perso-  
 nalis, ut notat Tuschus litt. P. concl.  
 896. n. 6. Dein, licèt prohibitio  
 fuisset personalis, tamen debuerat po-  
 tiùs attendi ejus ratio & intentio pro-  
 hibentis, & sic extendi juxta exigen-  
 tiam rationis dictæque intentionis.  
 Covarruv. variar. l. 3. c. 5. n. 4. Pa-  
 ris Conf. 32. n. 37.

## TITULUS XXIX.

De Officio & Potestate Judicis Delegati.

DECISIO XXIX.

De petita restitutione in integrum coram Judice  
 Delegato.

SPECIES FACTI.

Monasterium B. Ordinis Exempti  
 collegit decimas ultra 40. an-  
 nos in Parochia C. non incorporata  
 sibi. Cum verò Raymundus, SS. Ca-  
 nonum egregiè peritus ( uti hodie  
 permulti sunt ex Venerabili Clero

Sæculari) hanc parochiam fuisset con-  
 secutus, actionem adversus Mona-  
 sterium super decimis intentare cœ-  
 pit, eamque coram suo Episcopo pro-  
 posuit: at Monasterium objecit exem-  
 ptionem, & Episcopum velut incom-  
 peten-

R 3

petentem Judicem excipiendo recusavit. Quapropter Raymundus recurrit Romam, & obtinuit, ut ad hanc causam decimalem fuerit delegatus Judex ipse Ordinarius Raymundi, in cujus dioecesi sita erant decima. Coram Episcopo igitur tanquam Judice ab Apostolica Sede delegato comparere & respondere debuit Monasterium; idque ob imperitiam Syndici adeo infeliciter præstitit, ut ob non probatum titulum cum 40. annorum possessione, aut tempus immemorabile, quorum alterutrum probare necesse habet possidens decimas, & has tueri cupiens contra Parochum, juxta c. 1. de Prescript. in 6. causâ ceciderit, & decimæ per sententiam definitivam adjudicæ sint Parocho. Hæc res vehementer doluit Monasterio, maxime Prælato, qui propterea Cœlestino,

uni ex suis Religiosis, qui Irigolfadii SS. Theologiæ cum ingenti laudabat operam, in mandatis dedit, ut toto pectore Jus utrumque, maxime Canonicum addisceret, ut jura sui Monasterii deinceps per suos securus tueri valeat. Fecit hoc Cœlestinus, & intra biennium ita profecit, ut deprehenderit, Monasterium per dictam sententiam fuisse graviter læsum imperitiâ Syndici, qui se fundare debuisset in tempore immemorabili, utpote quod sufficienter probare potuisset. Quapropter suavit suo Præsuli, ut peteret restitutionem in integrum, sed dubitavit, an hanc facere posset Episcopus, qui tantum fuit Judex delegatus ad hanc causam decimalem. Unde Consilii causâ suam in Jure Canonico Professore convenit, eique proposuit hanc

### QUESTIONEM.

*An Judex delegatus ad causam particularem, etiam summi Principis, possit concedere restitutionem in integrum adversus suam sententiam.*

**P**rofessor, ut hanc rem examine Juridico dignissimam solidius & methodicè complanaret, scripto in sequentem modum respondit. Non equidem desunt magna Juris momenta, ex quibus erui possit, Judicem delegatum, modo destitutum non sit jurisdictione & imperio omni, uti

sunt Judices dati seu pedanei, quibus mera cognitio, aut sola executio ministerialiter facienda, fuerit commissa, non carere potestate restituendi in integrum, sicut defacto delegari Judices non solent sine Jurisdictione & imperio aliquo.

Ratio.

## Rationes Dubitandi.

Primo occurrit Juris Civilis dispositio in *l. fin. c. ubi & apud quem*. ubi restitutio facienda conceditur Judicibus delegatis, qui vel certi & administrationi, cui & jurisdictioni adhaeret, praepositi sunt, vel ab his fuerint dati: & multo magis, si à nostra Majestate (nempe Supremo Principe) delegata eis sit causarum audientia - - - sive hoc specialiter ipsis fuerit mandatum - - - vel si generaliter dati sunt Judices, vel in aliis speciebus inciderit quaedam questio restitutionis. Cum igitur in presenti casu Episcopus fuerit à Supremo Principe delegatus, dare restitutionem in integrum poterit, licet hæc ipsi specialiter non sit mandata. Secundo adstriplatur Jus Canonicum in *c. querenti 26. b. t.* ubi habetur, quod jurisdictionis delegati à Principe supremo, seu Summo Pontifice, non finiatur

per definitivam ejus sententiam: si autem non finiatur ejus jurisdictionis, nihil prohibet, quod minus in integrum restituere valeat. Tertio patrociniatur consuetudo, ad quam quidam Advocati, in angustias redacti, velut ad asyllum refugiunt, sic sapius factum esse dicuntur. Quarto idem docuit *gl. in l. Minor autem §. idem Imperator v. non fiet. ff. de Minor.* & ibi Bartol. & Sfortia Oddo de restit. in integr. p. 1. q. 32. a. 18. n. 139. allegans plures, & novissimè Auctor *Candidati Jurisprudentie Sacrae in lib. 1. tit. 41. de in integr. restit. n. 8.* ubi ait, restitutionem in integrum peti debere à Judice competente, sive dein Judex sit Ordinarius, sive delegatus Principis, vel delegatus ad Universitatem causarum, vel etiam delegatus alius cum aliquo imperio & jurisdictione.

## Rationes Decidendi.

His tamen non attentis contraria sententia omnino tenenda est, quod nempe Delegatus, etiam à Principe, ad unam tamen causam in particulari, nequeat restitutionem concedere adversus sententiam suam definitivam, si illa principaliter petatur; quamvis possit adversus sententiam suam interlocutoriam, quæ non habet vim definitivam, & sic incidenter, etiam sine speciali commissione. Joannes Gutierrez *qq. Canonica. l. 2. c. 2. n. 37. seqq. Bartol. in l. adversus C.*

*si adversus rem judic. & ibi Bald. n. 2. Paul. à Castro n. 1. Salyc. n. 2. dicens esse communem. Abbas in c. causa restitutionis n. 7. de in integr. restit. Marant. de Ord. Jud. p. 5. pr. n. 36. §. 141. Cogunt ita sentire leges satis claræ, uti l. Judex posteaquam §. ff. de re Judic. ubi habetur, latâ sententiâ definitivâ finitum esse officium Judicis, utique Delegati; nam officium & jurisdictionis Ordinarii utique perdurat: ergo, sicut privatus, carens jurisdictione, restituere nequit, cum sit*

fit actus jurisdictionis, ita nec Judex Delegatus, cuius officium & jurisdictionis finitur per sententiam, seu bene seu malè latam. Verùm quia aliquo modo dubium est, an non dicta lex loquatur de Iudice Ordinario, ideo fortius stringit *l. si ut proponis 4. C. quomodo & quando Judex*, ubi delegato negatur potestas ulterior cognitionis, si tulit sententiam nullam; per quam tamen non ita finitur potestas judicantis, sicut per sententiam validam, licet iniquam: ergo à fortiori neganda est delegato ulterior cognitio, si tulit sententiam validam, licet re ipsa iniquam, uti in præsentibus ob defectum probationis contigit. Omnium autem solidissimè rem conficit textus in *d. l. adversus 3. C. si adversus rem jud.* ibi: *nam adversus ejus sententiam, qui vice Principis (adeoque ut delegatus Principis supremi) cognovit, solus Princeps restituet.* Concordat textus in *d. l. Minor autem 18.*

*ff. de Minor. §. 3.* ibi: *idem Imperator Licinio Frontoni rescripsit, insolitum esse, post sententiam, vice sua, expellatione dictam, in integram restitutionem tribuere, nisi solum Principem.* Et paulò post, nempe *S. 4. sed etiam Imperatore Judex datus* (delegatus) *cognoscat; restitutio ab alio, nisi à Principe, qui Judicem destinavit, non fit.* Cum igitur SS. Canones his legibus contrarium non statuunt, etiam in foro Canonico observandæ erunt. arg. *c. 1. de N. O. M.* ita ut à solo summo Principe, nimirum summo Pontifice, qui dedit Judicem delegatum, non à Delegato, petenda & facienda sit restitutio in integrum. Quapropter jure infero, à fortiori delegatus ab inferioribus summo Principe potestatem restituendi in integrum adversus suam sententiam definitivam minime competere, ut latè probat Scotia Oddo *art. 18. cit. per tot.* & præter art: 6. cum Bellamera.

### Refutantur Rationes Dubitandi.

**P**rima quidem ex *l. fin. C. ubi & apud quem* petitam; quia tantum procedit in restitutione delegati à Principe adversus suam sententiam interlocutoriam, quæ non habet vim definitivam; vel quando delegatus obtinet certam administrationem, cuius jurisdictio est annexa; vel quando generaliter seu ad universitatem causarum est datus; vel quando ad causam quidem particularem in specie, at restitutio non petitur principaliter,

sed incidenter, ut denotat verbum *inciderit*, & habetur clariùs *l. 3. C. de Judiciis*, ubi causa incidens terminari posse dicitur à Iudice, coram quo, si principaliter deduceretur in Judicium, disceptari non potest; sic incidenter petitur restitutio, quando Minor permittit labi terminum sibi præfixum, & adversus lapsum termini petit restitui; vel denique quando delegato specialiter est concessa potestas restituendi, Bart. & ceteri communiter ad

d. l. fin. cum Paulo Castr. *ibid.* n. 1. atque sic leges optimè reducuntur ad concordiam. *Secunda* plùs non probat, quàm quòd delegati jurisdictione non finiatur per sententiam, quoad faciendam intra annum executionem, non verò quoad destructionem sententia per restitutionem. Paul. Castr. in d. l. *adversus* n. 1. Adde, quòd in d. c. *querenti* expressè habeatur, quòd tantum per annum post sententiam duret jurisdictione Delegati à summo Pontifice: hìc autem ferè tres anni ab illa lata fluxerint. *Tertia*, quòd nempe detur consuetudo contraria, tantum negatur, quamdiu non convincenter probatur; est autem admodum difficile satis probare consuetudinem, quæ est contra leges, uti patet ex casu ad *Titulum de Consuetudine* positum. Sapissime est error tribunalium, quem Advocati vocant observantiam vel consuetudinem; quod autem errore introductum est, nihil

præstat. l. *quod non ratione* ff. de legib. Et non, quod fit, sed quod fieri debet, servandum est, ut habet Brocardicum Juris. *Quartam* si ritè intellexeris, res salva est; nec Auctor Candidati Jurisprudentiæ sacræ erit contrarius, qui in *lo. cit.* solum id agit, quòd restitutio in integrum peti debeat à Judice Rei, seu illius, contra quem petitur, qualiscunque fuerit Judex, sive Ordinarius, sive Delegatus, cui nempe (quod iste Auctor ibi non discuit) aliunde competit potestas restituendi: ex delegatis autem solum competit iis, qui habent administrationem cum jurisdictione annexa, vel sunt delegati ad universitatem causarum, vel, si ad causam particularem, obtinent specialem potestatem restituendi, aut restitutio petitur incidenter, non principaliter & contra sententiam definitivam, sed contra interlocutoriam tantum.



## TITULUS XXX.

De Officio Legati.

DECISIO XXX.

De Clericum accusante coram Nuntio Apostolico.

SPECIES FACTI.

IN oppido quodam Diocesis Constantiensis civem inter & Parochum orta est lis circa hereditatem, quam Parochus occupaverat, civis autem

(R. P. Picbler Decisiones.)